

1420, 4 novembre – Aversa.

Louis III, roi de Jérusalem et de Sicile, duc d'Anjou, etc., donne en fief perpétuel à Baldassare della Ratta, comte de Caserte et d'Alessano, la ville de Sant'Agata de' Goti et les terres de Frasso, Limatola et Rocca d'Evandro.

- A. Original sur parchemin, signé par le secrétaire Nicolas Perrigaut, enregistré (*registrata in cancellaria penes cancellarium*)¹, scellé du sceau de majesté en cire rouge sur lacs de soie rouge, vert et jaune dont un fragment subsiste, ainsi que du contre-sceau (d'après *a*), **non vu.** Rome, Fondazione Camillo Caetani, Archivio Caetani, C-1420.XI.4, A (prec. 1733).
- a. *Regesta Chartarum. Regesto delle pergamene dell'archivio Caetani*, III, Caetani Gelasio (ed.), San Casciano Val di Pesa, 1928, p. 308-309, n°1733 [ouvrage numérisé] (édition partielle).

[Ludovidus^(a)] tertius, rex Jerusalem et Sicilie, ducatus Apulie, principatus Capue, dux Andegavie, comitatum Provincie et Forcalquerii, Cenomanie ac Pedimontis comes, universis presens privilegium inspecturis. Si debetur servitiis... Attendentes merita sincere et constantis devotionis et fidei Baldassaris de la Rath, Caserte et Alesani comitis, collateralis, consiliarii et fidelis nostri, necnon servicia nostre maiestati per eum prestita et que prestare non desinit ipsumque speramus prestiturum, eidem Baldasarri comiti et suis utriusque sexus heredibus, ex suo corpore legitime descendentibus, in perpetuum, civitatem et terras, videlicet civitatem Sancte Agathes, de provincia Principatus ultra, Frassium, Limatulam, Rocham Vandre, de provincia Terre Laboris, que hos habent fines : videlicet civitas Sancte Agathes iuxta territorium Oraczani, iuxta territorium Ayrole, iuxta territorium Ducente, Frassium iuxta territorium Tocchi, iuxta territorium Tocchi, iuxta territorium Miliczani, Limatulam iuxta territorium Murrone, iuxta territorium Cayacie, et Rocham Vandre iuxta territorium Mignani, iuxta territorium Vandre : cum castris seu fortelliciis, hominibus, vaxallis, vaxallorum redditibus, serviciis, feudis, feudatariis, subfeudatariis, censibus, casalibus, villis, domibus, casalenis, possessionibus, vineis, olivetis, iardenis, ortis, terris, tenimentis, territoriis, pratis, pascuis, montibus, planis, herbagiis, nemoribus, silvis, affidis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, molendinis, bactinderiis, balcatoriis, piscariis, banco iustitie in civilibus, baiulationibus ac integro statu earum, iuribus, iurisdicionibus, actionibus utilique dominio, rationibus et pertinentis earum omnibus ; ac omne ius omnemque accionem, nobis et nostre curie competens et competentem^(b), omne auxilium et remedium, tam ordinarium quam extraordinarium, quod et que competunt cuique persone, universitati, collegio super civitate et terris predictis, tam super possessione quam super proprietate ipsarum, ad manus et possessionem nostram et nostre curie ipsas civitatem et terras cum earum omnibus iuribus et pertinentiis devolutas ; Que civitas et terre certo tempore tente et possesse fuerunt per condam Ladiczilaum^(c) et suam curiam ac per nos et nostram curiam ad presens tenentur ut res

1. L'édition a rapporte également la mention A. *per Colectam*.

nostre maiestatis, licet fortassis sint etiam aliene vel alieni pretendentes in illis ius habere; Videlicet burgensatica quidem in burgensaticum, franca et exempta ab omni onere servitutis; ad habendum et possidendum tamquam dominus et patronus, constituendo eum in vicem et locum nostrum et tamquam procuratorem in rem suam et feudotariam quidem, in feudum et sub feudali servicio proinde nostre curie contingenti, que videlicet de demanio in demanium et que de servicio in servicium ut feudalia, pro eo quidem valore annuo quo, si bona ipsa feudalia de novo feudo fuerint, in registris nostris regalibus annotata et, si de antiquo, prout per inquisitionem de mandato nostro faciendo, fuerint valere conperta : feudum novum et nobile donamus et concedimus sub feudali servicio, ad rationem videlicet, pro singulis viginti unciiis annui valoris dictarum civitatum et terrarum, de uno integro servicio militari, iuxta usum et consuetudinem regni Sicilie ac generalis et humane regie sancionis edictum de feudorum successionibus et baronum omnium regni Sicilie a tempore felicis adventus regis Caroli primi et ipsum regnum, comitatus, baronias, feuda inibi ex perpetua collatione tenentium, factum dudum et confirmatum per condam regem Carolum secundum et in parlamento celebrato Neapoli divulgatum, non obstantibus concessionibus factis per reges regni predicti, olim vel in posterum, per nos etiam seu alios concessis vel concedendis de predictis civitate et terris : non obstantibus insuper rescriptis, privilegiis, cedula, litteris et aliis ordinationibus Regni in contrarium disponentibus. Mandamus quod predictus Baldasar prefatusque sui heredes tuti sint omni futuro tempore, ac quod super possessione, proprietate et iuribus controversiam non patiantur, nec conveniri possint ad quecumque tribunalia Regni, decernentes omnes processus, sententias, decreta et banna, latas et ferendas per magistrum iusticiarium, iudices magne curie eiusque locumtenentes, viceregios, vicarios, iusticiarios, capitaneos, baiulos et alios officiales nostros eorumque locatenentes contra predictum Baldasarem eiusque heredes et successores super dictis possessione et iuribus, nulla nulliusque roboris; Decernentes quod Baldasar comes dictique sui heredes et successores consequantur per privilegia iuris quod conveniri non possint a quibuscumque personis que concernunt iura civilia illis qui rem consecuntur a principe tanquam de bonis ipsius curie sive fisci, licet aliene sint seu ius in illis aliis competat, concessionem, munificentias principales; Nos enim personis pretendentes ius habere super dictis civitate et terris perpetuo silentium duximus imponendum; Legisque vigore principis auctoritatem habere illos qui in dicta civitate et terris ius vel actionem habere pretendant, ipsis iura et actiones contra nos et fiscum nostrum nostrosque heredes et successores et non contra Baldasarem eiusque heredes et successores, habentes causam ab eo vel eis, infra quadriennium, iuxta sancionem et privilegium legis bene a Zenone, Codice de quadriennali praescriptione et non ultra, ut ipsa iura volunt, specialiter et reservant; Illiusque legis privilegio, immunitate, prerogativa, gratia et beneficio, ipsum Baldasarem suosque heredes et successores, ac ab eo et eis causam habentes in dictis civitate et terris, ad predictam donationem gaudere et fovere volumus; Investientes eundem Baldasarem per anulum nostrum presencialiter, ut est moris, quam investituram vim vere donacionis decernimus obtinere, ita quod dicti Baldasar, eius heredes et successores dictam civitatem et terras a nobis et nostris in regno Sicilie heredibus et successoribus perpetuo, immediate et in capite possideant, sub adoha et servicio supradicto, nullumque alium preter nos, heredes et successores nos-

tros in superiorem et dominum recognoscant, a quo Baldasare ligium in manibus nostris homagium et fidelitatis debite recepimus iuramentum ;Concedentes Baldasari suisque heredibus et successoribus recipere possessionem possint cum comitiva armata et inermi, absque alicuius officialis decreto : salvis serviciis nobis debitis secundum valorem annuum dictarum civitatis et terrarum, iusta usum et consuetudinem Regni, ac aliis que nobis et nostre curie maioris domini ratione conpetunt, prout habemus ea in terris et locis aliis ; Salvis eciam nobis usibus et consuetudinibus aliis prefatis, beneficiis insuper cappellaniarum iurium patronatus et presentacionibus nobis reservatis ; Volumus quod Baldasar suique heredes et successores procurent, infra menses sex a die adhibitionis tenute dictarum civitatis et terrarum, inquiri facere per nostros officiales de valore annuo dictorum iurium et pertinenciarum suarum et processum inquisitionis ipsius factum ad nostram curiam destinare ut alie nostre littere, cum annotatione annui valoris et distinctione feudalium serviciorum, concedantur eidem Baldasari suisque heredibus et successoribus pro certitudine feudalis servicii et adohe, ipsi nostre curie prestandi tempore quo legitime indicetur in Regno : et tunc, infra semestre vel ultra, Baldasar suique heredes et successores in quaternionibus nostre camere, penes thesaurarios nostros, transcribi faciant et annotari ut, tempore quo in Regno militare servicium et adoha comitibus et baronibus et feudatariis aliis Regni generaliter indicetur, eundem Baldasarem dictosque eius heredes et successores, tamquarn novos dominos dictarum civitatis et terrarum, predictique feudalis servicii debitores, in quaternionibus nostre curie contingat reperiri. In cuius rei testimonium dictorumque Baldasaris eiusque heredum et successorum cautelam presens privilegium fieri et pendentia maiestatis nostre sigillo iussimus communiri^(d). Actum in castro nostro civitatis nostre Averse, presentibus magnificis et nobilibus Sforcia de Attendolis, regni nostri Sicilie magno comestabulo ac sancte romane ecclesie confalonario, Georgio de Alamania, comite Pulcini, Tristyano de Jayglya, regni predicti magno senescallo, Octino Caraczulo de Neapoli, regni predicti cancellario, militibus et collateralibus, necnon magistro Nicolao Perigaut et Arnaldo de Summo secretariis, et quam pluribus aliis consiliariis, familiaribus et fidelibus nostris. Datum ibidem per manus nostri predicti Ludovici regis, anno millesimo quadringentesimo vicesimo, die quarta mensis novembris, quatedecime indictionis, regnorum nostrorum anno quarto.

Per regem, presentibus consiliariis suprascriptis.

(Signé :) Perrigaut.

^(a)Ludovicus] *scripsit a*, L *lacuna*.

^(b)conpetens et conpetentem] *sic a pro* competens et competentem.

^(c)Ladiczilaum] *sic a* (Ladislaum).

^(d)communiri] *sic a pro* communiri.

Ce document PDF a été compilé en juillet 2024 dans le cadre du programme de recherche public « Actes princiers au royaume de France (XIV^e-XVI^e siècle) », porté par le Laboratoire de médiévistique occidentale de Paris (UMR 8589 CNRS-Université Paris 1 Panthéon-Sorbonne) sous la direction scientifique d'Olivier Mattéoni, professeur des universités (Paris 1), et dont les partenaires sont le Laboratoire d'Excellence « Histoire et anthropologie des savoirs, des techniques et des croyances » (LabEx hastec), le Centre Jean Mabillon (EA 3634/ École nationale des chartes), le Centre de recherches historiques (UMR 8558/ CNRS-EHESS) et les Archives nationales de France. La transcription et l'appareil critique du présent acte sont mis à disposition sous [Licence Ouverte V 2.0](#).

Pour plus d'information, consultez le site Actes princiers (actesprinciers.huma-num.fr).